



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quid sit peccatum acediae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

est hoc vitiū. Methodius dicit propter hoc peccatum ebrietatis tandem Turcam esse venturum, &c.

CAPVT XX.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit peccatum acedia.*
2. *Quantum DEO displiceat in homine.*
3. *Quo damna sequantur ex acedia.*

1.



Cedia est lassitudo ad bonū aliquod inchoandum, vel inchoatum bonum perficiendum: contra hoc peccatum, ne Ephesijs contingeret, Paulus flectit genua ad Deum patrem, vt confirmarentur & corroborentur secundum interiorem hominem in fide, dilectione & timore Dei Eph. 3. Sic quoque orat pro Philippensib. vt charitas magis ac magis abundet in omni scientia & sensu, Philipp. 1. Sic maximè angebatur, si quis ex Corinthijs infirmus in fide fuerat, aut scandalizatus, 2. Cor. 11. hoc enim singulare est ingenium Sathanæ, vt vel bonum quod homo proponit impediatur, aut hominem in incepto bono fatiget: orandus est igitur Deus pro constantia & perseuerantia in bono. De hoc vitio dicitur Apoc. 3. Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, euomam te ex ore meo: contra hoc vitium maximè clamabat Helias propheta, 3. Reg. 18. arguens populum: Vsq̄uequó claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Sin autem Baal, sequimini illum: Sed populus non respondit verbū &c. Sic hodie quoq; claudicatores confundentur.

2. Secundo, admodum displicet Deo acedia: nam seruum desidem qui nō negociabatur cum pecunia Domini sui, sed ociabatur, vocat seruum inutilem, & iubet ligatum in tenebras exteriores projici, Matthæi 25. Omnis creatura fugit peccatum acediæ. Sol, Luna & reliqua astra perficiunt suū cursum. Vndè August. dicit: